



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

I. De origine juris ecclesiastici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)



INSTITUTIONUM
JURIS ECCLESIASTICI
P A R S I.



C A P. I.

D E O R I G I N E J U R I S
E C C L E S I A S T I C I.

I.

STRIBUS prioribus sæculis Ecclesia
vix alias leges habuit, quam scriptu-
ram veteris & novi Testamenti. Ca-
ritas, qua ducebantur Christiani, litibus vix
locum fecit, & si quæ nascebantur, illæ per
Apostolos, eorumque successores, pios pastores,
componebantur. Quorum auctoritas mere
spiritualis fuit, innixa quippe potestati, quam
Christum pastoribus in gregem suum dedisse
cuncti persuasi erant, miraculisque & virtuti-
bus, quæ in plerisque pastoribus eucebant,
comprobata, nec ultra *curam animorum* extensa.
In ceteris rebus Christiani principibus & ma-
gistratibus obtemperarunt, legum civilium ob-
servantissimi.

Apostolo-
rum
successo-
res epi-
scopi spi-
ritualem
potesta-
tem re-
gendi ec-
clesiam
nacti
sunt.

ae de ea
re certas
regulas
ab Apo-
stolis ac-
ceperunt,

II. APOSTOLI episcopis ac presbyteris nonnulla praecepta, ad curam animarum Ecclesiarumque gubernationem generatim pertinentia, tradiderant, quae longo tempore hominum memoria conservata, ad ultimum scriptis consignata sunt, licet auctore ac tempore incertis. Unde nati sunt *canones Apostolici* (a graeco vocabulo *κάνων*, quod latinis *regulam* significat), & *constitutiones Apostolicae*, quae S. Clementi Papae tribuuntur: licet earum auctoritas non sit omni exceptione major, quandoquidem diversae diversis temporibus laciniae fuerunt assutae.

quae Con-
ciliorum
decretis
auctae
sunt.

III. PLURIUM civitatum episcopi nonnumquam ad decidendas causas majoris momenti convenerunt, quorum congregationes latinis *concilia*, graecis *σύνδοδοι* audiunt. Tribus prioribus saeculis ob persecutiones rarius hujusmodi conventus agebantur; nonnulli tamen etiam ex his temporibus ad notitiam nostram pervenerunt, veluti concilia sub Victore Papa an. 196. de controversia paschali habita^r: Concilium Carthaginense sub Agrippina episcopo, cujus mentionem facit Cyprianus *ep. 71.* ipsa Cypriani consilia, aliaque plura. Toties enim habebantur, quoties id fieri commode poterat. Sed ex quo Constantinus M. Ecclesiae pacem restituit, frequentiores atque ordinatiores fuere episcoporum conventus. Ipso enim imperante, celebrata sunt an. 314. Ancyranum in Galatia & Neo-Cæsariense in Ponto, quae sunt eorum, quorum canones supersunt, antiquissima concilia. Ejus-

dem auspiciis coactum fuit an. 325. Nicææ in Bithynia Concilium Oecumenicum I. a cunctis orbis Romani episcopis frequentatum. Secuta sunt tria particularia, videlicet an. 341. Antiochiense; an. 370. Laodiceum in Phrygia; an. 375. Gangrense in Paphlagonia, quorum canones maximi habebantur. Denique an. 381. celebratum fuit Constantinopoli œcumenicum concilium II.

1) Fleury Hist. Eccl. l. 4. n. 43.

IV. HORUM septem conciliorum, videlicet duorum universalium & quinque particularium, canones, in unum corpus collecti sunt, quod adpellatum fuit *codex canonum ecclesie universalis*: quo concilium Calchedonense usum fuisse constat, cujus *can. 1.* generatim comprobatur. Huic codici accesserunt canones concilii Ephesini, Oecumenici III. quod an. 430. habitum, & Calchedonensis Oecumenici IV. an. 450. celebrati. Denique L. canones apostolorum, nec non canones concilii Sardicensis, quod an. 347. celebratum & a pluribus Ecclesiis pro continuatione concilii Nicæni habitum est, eidem codici adjecti fuerunt.

Unde natus est codex canonum.

V. OMNES isti canones græca lingua concepti fuerant; sed in Ecclesiis occidentalibus recepta fuit antiqua versio latina, cujus auctor incertus est. Hac veteri compilatione usum fuit concilium Calchedonense, ipsaque Ecclesia Romana usque ad sæculum subsequens: nec ceteræ per Galliam Germaniam-

græce scriptus

& latine
redditus,
atque au-
ctus de-
cretali-
bus pon-
tificum
epistolis a
Dionysio
Exiguo:
quæ
compila-
tio

que Ecclesiæ usque ad sæculum IX. aliam no-
verant. Denique DIONYSIUS Exiguus, qui
circa an. 530. Romæ vixit, novam versionem,
eamque multo fideliolem, adornavit, cui adje-
cit omnia, quæ tum temporis græco codice
continebantur, videlicet, L. canones apostolo-
rum, canones conciliorum Calchedonenfis,
Sardicenfis, Carthaginienfis, ac nonnullorum
aliorum in Africa habitorum. Idem Diony-
sius collegit *decretales epistolas* pontificum inde
à Siricio, qui an. 398. obiit, usque ad Anasta-
sium II. defunctum an. 498. Appellabantur
autem *decretales epistolæ*, quibus pontifices, ab
episcopis consulti, decidebant momenta disci-
plinæ, quæve canonum loco habebantur,
quemadmodum græci his æquiparabant de-
cretales Dionysii Alexandrini, Gregorii Thau-
maturgi & Basilii M ad Amphilochem epistolas.

audit cor-
pus cano-
num.

VI. TANTA autem fuit compilationis
Dionysianæ auctoritas, ut Ecclesia Romana ea
semper deinceps uteretur sub adpellatione *cor-
poris canonum*. Exstitit præterea codex cano-
num Ecclesiæ Africanæ, maximam partem lex
conciliis tempore S. Augustini habitis colle-
ctus, & ab ipsis græcis ob excellentiam regu-
larum in linguam vernaculam translatus.
Martinus, Bracarenfis Episcopus, qui circa
an. 570. floruit, in Hispania idem fecit, quod
Dionysius Parvus Romæ, edita compilatione
canonum secundum Orientales, quibus tamen
nonnullos conciliorum Hispanicorum canones
adjecit. In Francia tamen sola vetus illa com-
pilatio in usu fuit, donec Carolus M. Diony-

fianam, Romæ ab Adriano I. Pontifice an. 787. traditam, domum referret.

VII. ORIENTALES etiam veteri codici nonnulla adjecerunt, videlicet XXXV. canones apostolorum, qui L. reliquis additi; codicem Ecclesiæ Africanæ græce redditum; canones concilii Trullani an. 692, ut vicem sustinerent canonum conciliorum Oecumenicorum V. & VI. quibus nulli canones fuerant prodi; denique canones concilii Nicæni II. Oecumenici VII. an. 787. Atque his partibus constitit *codex canonum Ecclesiæ Orientalis*. Hæc pauca præcepta universæ Ecclesiæ catholicæ per VIII. sæcula suffecere. Occidentales pauciora habebant, eaque ab orientalibus maximam partem mutuata. Interim in *usum Ecclesiæ Romane particularem* nulla tradita deprehendimus. Tanta enim constantia ac fidelitate inhæsit disciplinæ ab apostolis traditæ, ut his remediis vix indigeret, ipsæque pontificum decretales epistolæ inde haustæ aliis Ecclesiis scriberentur. Jus hoc, quod primis VIII. sæculis in usu fuit, appellare posses *jus Ecclesiasticum antiquum*.

Addita-
menta
codicis
græci.

VIII. CUI mox successit *novum*. Extremis enim Caroli M. temporibus ex Hispania per univèrsam occidentem disseminata fuit collectio canonum, cui nomen nescio cujus Isidori præscriptum erat, quem nonnulli *mercatores* vocant. Illâ continentur canones orientales ex interpretatione latina, Dionysiana antiquiore; Canones plurium conciliorum Fran-

Juris ca-
nonici
novioris
origines
debentur
Pseudo-
Isidoro.

cicorum & Hispanicorum, &, quod omnium maximum, ingens numerus epistolarum decretalium, a pontificibus quatuor primorum sæculorum scriptarum inde à Clemente usque ad Siricium, a quo auspiciatus erat Dionysius; licet hic, qui ducentos annos ante vixerat Romæ, contestetur, ab ipso conquistata summa diligentia fuisse, quotquot reperiri potuerint, superiorum pontificum constitutiones, Compendia harum decretalium inserta fuere collectioni, quam Ingelramnus, Mediomatricum episcopus, edidit an. 781², pluraque earum capita irrepererunt in capitularia regum Francicorum, sæpeque allegabantur. Sed Hincmarus Rhemensis, quum videret Nicolaum I, his abuti ad stabiliendam suam jurisdictionem in episcopos, contendit, decretales istas, quod corpore canonum non continerentur, plus auctoritatis, quam ipsos canones, habere non debere. Pontifex contra bene monuit, auctoritatem earum non e corpore canonum, sed a scriptoribus, quos Pontifices fuisse existimaverat, esse derivandam.

2) Vid. *hist. eccl. nostr.* l. 44. n. 22.

Cujus pia
fraus de-
tegitur.

IX. NOSTRO ævo compertum est, decretales illas inde a Clemente usque ad Siricium non ab eis, quorum nomina præferunt, profectas esse: Idem enim stili habitus in omnibus, ipsumque orationis genus a primorum sæculorum simplicitate abhorrens. Leguntur in iis amplissima capita e scriptis patrum, qui sequiori tempore demum vivere, veluti S. Leonis, S. Gregorii, aliorumque: ap-

parent porro leges a Christianis imperatoribus latæ, quales tum non fuerant: res ipsæ, quæ referuntur, nec locis nec temporibus conveniunt³. Sed quoniam per plura sæcula pro genuinis habitæ fuere; dici non potest, quantam disciplinæ ecclesiasticæ mutationem induxerint, præsertim in argumento appellationum ad Pontificem, quæ in iis pro ordinariis venditantur, & episcopalis jurisdictionis, quæ in his mire impeditur: cui fini has epistolas a se editas nec ipse diffitetur Isidorus.

Papæ vefificantis.

3) Vid. *Concilia Phil. Labbei tom. I. passim.*

X. INTEREA auctus est compilatorum numerus, in quibus notanda est collectio Reginonis, Abbatis Prumiensis, qui vixit an. 900, collectio Burcardi, episcopi Wormatiensis an. 1020, collectio Ivonis Carnutensis an. 1100, denique collectio GRATIANI, monachi Benedictini, quæ Bononiæ circa an. 1150. prodiit, quæ continentur supposititiæ illæ decretales pluraque e scriptis patrum, præsertim Hieronymi, Augustini, Gregorii, Isidori Hispalensis loca, sub certa capita redacta, multisque *questionibus* referta, quæ in utramque partem disputantur oppositis auctoritatibus, quas Gratianus conciliare nititur. Propterea hæc compilatio ab ipso inscripta est *concordia canonum discordantium*, usu tamen invaluit, ut *corpus decretorum*, vel simplicius *decretum* adpelleretur. Hoc opus, licet summe imperfectum, quod temporum injuria studium Criticum tum exularet, nihilominus magno adplausu exceptum, & licet ab *homine privato*

Compilatio Gratiani.

profectum, cujus nulla erat auctoritas, in scholis prælectum, in foro allegatum, universalique consensu unicum juris canonici corpus habitum fuit. Id tamen agnoverunt omnes, loca, quæ in eo continentur, nullam a libro, sed omnem a scriptoribus, a quibus profecta sunt, auctoritatem mutuari.

Papæ regnum
ipuriis
decretis
libus stabilis

XI. Ex illo tempore ob *ecclēsiæ & rei publicæ* mala frequentioribus ex aula Romana constitutionibus opus fuit. Nam per bella illa, quibus minores illi principes, e ruinis regni Carolingici nati, perpetuo conflictabantur, nec Episcopi conventus agere, nec Metropolitanæ auctoritatem interponere valuerunt. Qui aliquo numero haberetur, nemo fuit præter pontificem, cujus reverentia major esse cœpit post oppressam Regulorum, Romæ vicinorum, tyrannidem. Sic post Leonem IX. & ann. 1050. plura de morum & disciplinæ emendatione habita sunt consilia, quandoquidem quum Christiani in universum, tum clerici luxu, libidine & avaritia corrupti fuere. Quibus vitiis bellum indictum fuit pluribus conciliis particularibus, quibus vel ipsi Pontifices vel eorum legati præfuere. Convocata sunt quoque nonnumquam *generalia*, cum alibi, tum Romæ potissimum, quæ a loco congregationis vocantur *Lateranensia* in quibus eminent Lateranense III. an. 1215. sub Innocentio III. cui potiora momenta disciplinæ, quibus etiamnum Ecclesia regitur, debentur.

XII. INNOCENTIUS ille, nec non Alexander III. aliique plures sæculi XII. & XIII. Pontifices jurium erant peritissimi, nec canonum solum, sed & legum Romanarum, quæ tum è situ resuscitabantur, callentissimi. Undiquaque propterea consulebantur etiam in causis sæcularibus. Appellationes continuæ Romam deferebantur, ubi gravissimæ causæ non solum Episcoporum, sed Regum quoque ad Principum disceptabantur. Iisdem temporibus ordines monachorum mendicantium & academiæ fuerunt institutæ Pontificique immediate subjectæ, ex quibus prope omnes Prælati & Ecclesiæ ministri fuere delecti. Atque sic factum est, ut nullæ leges generatim reciperentur, nisi quæ ab ipso Pontifice, sive in consilio præsidente, sive in collegio Cardinalium decernente, proficiscerentur.

per academi-
as & religio-
forum
mendicantium
ordines
confirmatum,

Legibus
obruit
orbem,
quas

XIII. POST decretum Gratiani plures decretalium collectiones factæ sunt, in quibus sola *Gregoriana* an. 1234. per Raymundum de Pennaforte, natione Catalanum, ordine Dominicanum, Gregorii IX. Capellanum, compilata, publicam auctoritatem indepta fuit. Ea continentur decreta magni concilii Lateranensis an. 1215. pluriumque causarum decisiones pro natura argumentorum in V. libros distributæ. Atque hoc ipsum est, quod simpliciter *decretales* adpellamus, licet *canonistæ* eas quæ prioribus collectionibus continentur, adpellent *decretales veteres*.

decretalium
nominine
evulgat
Gregorius IX.

XIV. BONIFACIUS VIII. an. 1298. amplifi-

A 5

est Boni-
facius
VIII,

prodidit decretalium *sextum*, itidem in V. li-
ros pro natura collectionis Gregorianæ divi-
sum: quem *sextum* adpellant. Eo continen-
tur decreta duorum conciliorum Lugdunen-
sium, vel potius Pontificum INNOCENTII IV.
& GREGORII X. an. 1245. & an. 1274. iis
præsidentium; nec non aliorum Pontificum
inde à Gregorio IX. usque ad Bonifacium VIII.
constitutiones. Sed dissidia inter hunc Ponti-
ficem & Philippum pulchrum hanc collectio-
nem Francis suspectam reddiderunt. Acces-
sit postea nova collectio *Clementinarum*, qua
continentur Constitutiones Clementis V. in
concilio Viennensi an. 1311. promulgatæ, &
à Joanne XXII. an. 1317. publicatæ.

absolvit
Jo XXII.

XV. CETERAE omnes, quæ corpori
juris post adjectæ sunt, *extravagantes* adpellan-
tur, quod veluti errarent atque à ceteris com-
pilationibus exularent. Jam olim canonistæ
allegarunt decretales Gregorii IX. per vocabu-
lum *extra*, ut indicarent, esse eas extra decre-
tum Gratiani, quod usque ad ea tempora so-
lum veluti corpus juris habebatur: idque et-
iamnum facere solemus. *Extravagantes* sunt
partim *Joannis XXII.* partim *communes*, non
solum subsequantium Pontificum, sed etiam
nonnullorum præcedentium etiam ipsum In-
nocentium III. Atque hi sunt illi libri, vide-
licet, *decretum*, *decretales*, *sextus*, *Clementina* &
extravagantes, quibus universum corpus juris
canonici, quod in scholis explicari solet, ab-
solvitur.

XVI. A GRATIANI temporibus ad conculca-
ta vete-
rum ca-
nonum
discipli-
na, JOANNEM XXII. vix integra duo sæcula circumacta erant, quo brevi temporis spatio tot novæ leges prodierunt. Sed in eadem tempora incidit magna illa disciplinæ remissio. Antiqui canones, nisi qui decreto Gratiani inserti essent, fere ignorabantur, & in scholis regnabat nescio quæ sophistica, quæ mille modos eludendi canonum rigorem argutis mentibus suppeditabat. Atque hoc modo in moribus remissio; in medelis parcitas. Præterea Pontifices in Italia ad dominatum supremum erecti, majorque Episcoporum pars domini sæculares facti sunt. Laicorum ignorantia clericorum præsentiam solertiamque in omnibus negotiis publicis æque ac privatis necessariam reddidit. Inter tot negotia, inter strepitum judiciorum, in Principum aulis, in castris, in publicis consultationibus, quibus Prælati sæpe ac sanctissimi monachi fuere adhibiti, vix fieri potuit, ut caritas pastoralis & Ecclesiasticus candor purus illibatusque conservaretur.

XVII. REMISSIORIS disciplinæ quæ de-
generavit
in abusus
pessimos, indicia sunt Clerici illiterati, raroque vel ob gravissima crimina destituti, aut facile restituti: poenitentia canonica, ad peregrinationes pias vel eleemosynas obeundas imperata, frivole remissa; indulgentia generales publicata. Privilegia ipso jure communi facta sunt magis communia. Pontificum potentia nulla re magis censeri posse videbatur, quam si dispensationes a canonum observantia in infinitum extenderentur, quarum præteritis decem sæ-

culis admodum circumspēctus usus fuit. Vicissim inde a sæculo XI. censura Ecclesiastica ultra modum rigorosa invaluit, sæpeque in causis temporalibus ex levi causa adhibebatur. Institutum fuit inquisitionis officium, ordinato processu extraordinario per capturas & denunciations secretas in criminibus læsarum religionum. Potestas sæcularis spirituali iungebatur tanto excessu, ut Pontifici tribueretur jus destituendi Principes, & regna pro lubitu dispersiendi.

præfer-
tim tem-
pore
schisma-
tis Ave-
nionen-
sis.

XVIII. SED majus exitium disciplina sacra vix experta est, quam tempore schismatis Avenionensis, exeunte sæculo XIV. Nam in ista Pontificum æmulatione uterque dispensationibus & indulgentiis sectatorum suorum numerum augere satēgit, vitiaque in iis, qui parti suæ favebant, dissimulavit, & quum mutuis diris & execrationibus se devoverent, censuræ Ecclesiasticæ ad ludibrium reciderunt. Concilium Constantiense, quod an. 1414. convocatum fuit, tantis malis ex parte medelam adhibuit. Deliberatum ibi fuit de emendatione morum & disciplinæ Ecclesiasticæ; deliberatum itidem postea. Omnium efficacissimum remedium existimatum fuit restrictio privilegiorum & dispensationum, ne summa auctoritas, quam Christus capiti Ecclesiæ concesserat ad ædificandum, adhibeatur ad Ecclesiam destruendam.

quibus
Conci-

XIX. RECLAMATUM est iis, qui Papam veluti unicum in Ecclesia legislatorem ac

totius disciplinæ arbitrum absolutum extollebant. Recursum est ad auctoritatem conciliorum & ad potestatem episcoporum, per canones ordinatam. Interim illi fluctus, quos schisma excitaverat, lenioribus istis remediis per omnes orbis Christiani partes compesci non potuerunt. Germania, regnaque Septentrionalia abusibus istis, quibus oppressa fuerant, in tantum horrorem conjecta sunt, ut maximam partem animum abjicerent, atque hoc obtentu jugum Ecclesiæ infausto omine excuterent. Per Italiam dominatus aulæ Romanæ & spes Principum, qui ei adulantur ob certam lucri expectationem, pontificis usurpationes corroboravit, quas per Hispaniam Franciamque regum temperavit auctoritas pro genio nationum diverso. Nam in Francia apertius pontifici resisti, manifestum est.

lium
Constan-
tienze
mederi
voluit,
quibusve
Germa-
nia & re-
gna se-
ptentrio-
nalia sunt
ad dete-
ctionem
concitata.

XX. INDE a schismatis illius temporibus Francia palam declaravit animum tuendi veterem libertatem, atque exterminandi, quidquid contra canones per ignorantiam vel malitiam sequioribus temporibus innovatum est. Neque tamen propterea habemus, quo nobis gratulemur de veteri disciplina conservata, licet intacti pluribus innovationibus, quibus alia regna vexantur. Neque nostro ævo opus inventivis istis, quibus tempore *schismatis* utebamur: nam periculorum remedia morborum intuta sunt, si male adplicentur.

Franci
in viam
redeunt.

XXI. CONCILIO Constantiensi optimum Qui con-

cilii Basi-
leensis
decreta

corrigendi abusus remedium visum fuit frequentior conciliorum generalium convocatio, licet primitiva Ecclesia tribus sæculis iis caruerit, ad eaque tanquam ad *remedia extraordinaria* confugerit. Ex hac causa Eugenius IV. convocavit an. 1431. *concilium Basileense*, quod a prima sessione ex causis frivolis disturbatum ivit; sed tamen eidem adhærere, ejusque decreta adprobare coactus est. Biennio post novum inter pontificem conciliumque ortum est dissidium, quod componi non potuit.

adoptant
in pra-
gmatica
1438.

XXII. MEDIO tempore habitus est conventus *Bituricensis* an. 1438. ex omni Clero Franciæ collectus a rege Carolo VII. ubi constitutio facta, quam *pragmaticam* adpellamus: quod nominis jam antea nonnullis constitutionibus imperatoris, & statuto Ludovici sancti, quo Romanæ aulæ postulata repressit, inditum erat. Pragmatica autem illa concilii Basileensis agnoscitur auctoritas, pluraque ejus decreta recipiuntur in Franciam, certis limitationibus circumscripta. Germania in isto dissidio neutras partes secuta, donec an. 1437. *Concordata nationis Germanicæ*, inter Nicolaum V. Eugenii IV. successorem, & Imp. Fridericum III. ordinesque imperii inirentur, quibus etiamnum utitur in causis beneficiis.

quam
commu-
navit
Fran-
siscus I.

XXIII. PRAGMATICA Francorum pontificibus æque exosa fuit ac ipsum concilium, cujus decretis nitebatur. Ludovicus XI. eam abrogaturus impeditus est a Clero, sed

maxime ab academiis & senatibus provincialibus. Ex eadem causa Julius II. impetiit Ludovicum XII. ad concilium Lateranense vocatum, damnassetque pragmaticam, si diutius in vivis versatus esset. Leo X. denique litem hanc composuit, convenitque cum Francisco I. an. 1516. Bononiæ in nostra *concordata*, quibus *pragmatica* nomen abolitum, infensioraque pontificibus capita expuncta; cetera renovata. Potissima mutatio hæc fuit, quod, abrogatis episcoporum & Abbatum electionibus, Pontifici tributa est potestas præficiendi episcopatibus & monasteriis, quos rex nominaturus esset. Hæc *concordata* fuere a concilio Lateranensi, quod tum nondum solutum erat, comprabata: sed suprema curia Parisiensis omnimodo restitit, quo minus publicam auctoritatem ex relatione in scrinia nancisceretur, & clerus per integrum sæculum electionum pristinam libertatem flagitavit; nullo effectu.

in concordatis
1516.

XXIV. SUB idem tempus Martinus Lutherus in scenam prodiit, quem secuti sunt alii plures, qui obtentu *repurgandæ Ecclesiæ* miseris modis eam dilacerarunt. Sed ex his novis successionibus id utilitatis redundavit in Ecclesiam ut omnium animi, licet sero, serio tamen converterentur, non ad fidei quidem, quæ variari nequit, sed morum & disciplinæ Ecclesiasticæ emendationem. Resumptum est studium antiquitatum Ecclesiasticarum, veterumque canonum longa oblivione sepulorum. Inde manavit sancta illa saluberrimaque refor-

Lutherus
catholicis
ansam
dedit
emen-
dandi
discipli-
nam

in concilio
Tridentino

matio concilii Tridentini, quo damnantur corrigunturque sequiorum sæculorum abusus plerique; dispensationes autem & privilegia constringuntur, ac infulæ episcopales exaltantur. Renovatio antiquorum canonum sanctissimorum hujus concilii scopus & labor fuit. Ejus decreta circa doctrinas in Francia ultro recepta fuere, veluti ex concilio Oecumenico profecta; sed quæ ad *disciplinam* spectant, usque ad hoc tempus, Cleri Francici intensa flagitatione posthabita, non attenduntur. Non quod ea non satis pura censeretur, quippe maximam partem statuto ordinum Blesensi inserta; sed quod reformatæ religioni addictis civibus, multisque catholicis, præsertim magistratibus, aliquid dandum esset, qui in iis plurima nostris libertatibus inimica deprehendebant. Atque hæc sunt origines, progressus & reliqua fata juris Ecclesiastici inde ab Ecclesiæ incunabilis usque ad hæc tempora.



C A P. I I.

DE DIVISIONIBUS JURIS
ECCLESIASTICI.

I.

Divi-
ones juris
canonici,
quod est,

UNIVERSUM jus Ecclesiasticum dividitur in jus *divinum* & *humanam*; in jus *naturale* & *positivum*¹. Jus *naturale* est lumen rationis de eo, quod Deo debemus & hominibus. Hoc etiam est jus *divinum*, quia Deus est auctor *naturæ*, & *rectæ rationis* regula